

1
1

no

**CONSILIVM DELECTO-
RVM CARDINALIVM:**

**& aliorum Prælatorum: de emen-
danda Ecclesia. S. D. N. D.**

PAVLO III.

Ipso iubente conscriptum & exhibitum

M. D. XXXVIII.



B E A T I S S I M E P A T E R

Tantum abest: ut uerbis explicare possimus quod magnas gratias Respub. Christiana Deo Opt. Max. Agere debeat: quod te Pontificē hisce tēporibus: ac Pastore gregi suo prefecerit: eamque quā habes mentē dederit: ut minime speremus cogitatione eas: quas Deo gratas debet: consequi posse: nam spiritus ille Dei: quo uirtus cœloꝝ firmata est: ut ait propheta: labantem imo fere collapsam in preceps Ecclesiā Christi per te huic ruine manū: ut uideamus: supponere decreuit: eamque erigere ad pristinā sublimitatē decorique pristino restituere certissimā diuinæ huius sententiæ coniecturā nos facere ualemus: quibus Sanctitas tua ad se uocatis mandauit: ut nullius aut cōmodi tui: aut cuiuspiā alterius habita ratione tibi significarem: abusus illos grauissimos: uidelicet morbos quibus iam pridem Ecclesia Dei laborat: ac præsertim hæc Romana Curia: quibus effectū prope est: ut paulatim ac sensim ingrauescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinā traxerit: quā uideamus. Et quoniā Sanctitas tua spiritu Dei erudita: qui: ut inquit Aug. loquitur in cordibus nullo uerborū strepitu: probe nouerat principū horū malorū inde fuisse: quod nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus: ut inquit apostolus Paulus: coaceruauerūt sibi magistros ad desideria sua: non ut ab eis discerent: quod facere ceberent: sed ut eorū studio & calliditate inueniretur ratio: qua liceret id: quod liberet: inde effectum est: præterquā quod principatū omnē sequitur adulatio: ut umbra corpus: difficillimusque semper fuit aditus ueritatis ad aures Principū: quod confestim prodirent Doct. qui docerent

Pont. esse dominū beneficiorū omnium: ac ideo cū domi-
 nus iure uendat id quod suū est: necessario sequi: in Pont.
 nō posse cadere Simoniam: Ita q̄ uoluntas Pontificis qua-
 liscunq; ea fuerit: sit regula qua eius operationes ac actio-
 nes dirigantur: ex quo proculdubio effici: ut quicquid li-
 beat: id etiam liceat. Ex hoc fonte Sancte Pater tan-
 quā ex equo Troiano irrupere in Ecclesiam Dei tot abu-
 sus: & tam grauissimi morbi: quibus nūc conspicimus eā
 ad desperationem fere salutis laborasse: uel manasse harū
 rerū famā ad infideles usq;. Credat Sanct. uestra scien-
 tibus: qui ob hanc præcipue causam: Christianā religio-
 nem derident adeo: ut per nos: per nos inuimus: nomen
 Christi blasphemetur inter gentes. Tu uero Sanctissi-
 me Pater: & uere sanctissime: edoctus a spiritu Dei: præter
 ueterem illam tuam prudentiam cū totus in hanc curam
 incubueris: ut sanatis ægritudinibus Christi Ecclesia tuę
 curæ cōmissæ: bonā ualitudinem recuperaret uidisti: ac
 probe uidisti: inde incipiendam esse medicationem: unde
 primū ortus est morbus: secutusq; doctrinam apost. Pau-
 li: uis esse dispensator non dominus: & fidelis inueniri a
 Domino: imitatus etiam seruū illum: quē in Euangelio
 Dominus præfecit familiæ suæ: ut det illis in tempore tri-
 tici mensurā: ac propterea decreuisti nolle quod nō liceat
 nec uis posse quod nō debes. Ideoq; nos ad te accersuisti:
 imperitos q̄dem ac tam magno negotio impares: nō parū
 tamen affectos cū honori & gloriæ Sanct. tuæ: tum præ-
 cipue instaurationi Ecclesiæ Christi: ac grauissimis uer-
 bis iniunxisti: ut omnes hos abusus colligeremus: tibiq; il-
 los significaremus: obtestatus nos reddituros esse rationē
 huius negocii nobis demādati: Deo optimo: si negligēter

ac infideliter ageremus. Atq; ut omnia liberius inter nos tractari possent: tibiq; a nobis explicari iure iurādo nos detinxiſti: addita etiā excommunicationis pœna: ne cuiſiam aliqd huius noſtri muneris pderemus. Nos igitur tuo imperio parentes: collegimus quāto paucioribus fieri poterit: hos morbos: eorumq; remedia: ea in quā quæ pro tenuitate ingenii noſtri excogitare potuimus. Tu uero pro tua bonitate ac ſapientia omnia reſarcies ac perficies: in qbus pro tenuitate noſtra offenderimus. Verū ut omnia certis quibusdā finibus complectamur: cū Sanct. tua & ſit princeps puinciarū harū quæ ſub ſunt ditioni eccleſiaſticæ: & ſit Pontifex uniuerſalis eccleſiæ: ſit etiā Epifcopus Romanus: nihil nobis dicendū ſumpſimus de his quæ pertinent ad hunc principatū Eccleſiæ: quæ tua prudentia optimæ regi uidemus: tangemus tantū ea quæ pertinent ad officiū uniuerſalis Ponti. & nōnulla quæ ſunt Rom. Epifcopi. Illud uero ante omnia Beatiffime Pater putamus ſtaruendū eſſe: ut dicit Ariſtot. in Polit. ſicut in unaquaq; Reſub. ita & in hac eccleſiaſtica gubernatione Eccleſiæ Chriſti hāc præ omnibus legē habendā: ut quantū fieri poteſt: leges ſeruent. Nec putemus nobis licere diſpenſare in legibus niſi urgenti de cauſa & neceſſaria. Nulla nāq; pernicioſior conſuetudo in quauiſ Reſub. induci poteſt: quā hac legū inobſeruantia: quas ſanctas maiores noſtri eſſe uoluerūt: earūq; poteſtatē uenerandam: & diuinā appellarunt. Scis tu hæc omnia Opt. Ponti. legiſti iam pridem apud Philoſophos: & Theologos: illud uero nō tantū huic pximū: ſed longe prius & potius ſuperiore putamus: nō licere Ponti. & Chriſti Vicario in uſu poteſtatis clauium: poteſtatis inquit a Chriſto ei collatæ: lu

erum aliquod cōparare. Hoc etenim est Christi mādatū: Gratis accepistis: gratis dare. His primū statuitis: cū Sāct. uestra ita gerat curā Ecclesiæ Christi: ut ministros plurimos habeat: per quos hanc curā exerceat. Hi autem sunt Clerici omnes: quibus mandatus est cultus Dei: Presbyteri præsertim: & maxime Curati: & præ oībus Episcopi. Id circo si gubernatio hæc sit recte pcessura: primo dāda est opera: ut hi ministri idonei sint muneri quo fungi debēt.

¶ Primus abusus in hac parte est ordinatio Clericorū: & præsertim Presbyterorū: in qua nulla adhibetur cura: nulla adhibetur diligētia: quod falsim quocūq; sint imperitissimi: sint uilissimo genere orti: sint malis moribus ornatī: sint adolēcentes: admittant ad ordines sacros: & maxime ad presbyteratū: ad characterē inquā Christū maxime exprimentē: hinc innumera scandala: hinc contēptus Ordinis Ecclesiastici: hinc diuini cultus ueneratio nō tantū dimi-
nuta: sed etiā prope iam extincta. Ideo putamus optimū fore: si Sāct. tua primo in hac urbe præficeret huic negotio duos aut tres Prælatos uiros doctos: & ppos: qui Ordinationibus clericorū præessent: iniungeret etiā episcopis omnibus: adhibitis etiā poenis censurarū: ut id curarent in suis Diocētibus. Nec permittat Sāct. uestra: ut quispiā ordinetur: nisi ab Episcopo suo: uel cū licentia deputatorū in Vrbe: aut Episcopi sui insuper: ut in ecclesiis suis quisq; episcopus magistrū habeat: a quo clerici minores: & literis & moribus instruantur: ut iura præcipiunt.

¶ Abusus alius maximi ponderis est in collatione beneficiorū ecclesiasticorū: maxime curatorū: & præ omnibus episcopatuū: in quibus usus iualuit: ut pro uideatur personis quibus conferunt beneficia: nō autē gregi Christi & Ec-

clesiæ. Ideo in conferendis his beneficiis curatis inquam:
sed præ aliis episcopatibus curandū est; ut conferantur ui-
tis bonis doctisq;: ideo ut per se possint fungi illis muneri-
bus: ad quæ tenent; insuper illis: quos uerisimile est resi-
dentiam facturos: nõ ergo Italo conferendum est benefi-
ciū in Hispania; aut in Britania; aut e contra hoc seruan-
dum est tam in collationibus cum uacant per decessum:
quã in celsionibus: in quibus nunc tantum habetur ratio
uoluntatis cedentibus: nullius præterea rei in celsionibus:
his si quispiam præficeretur probus unus pluresue: bene
factum iri puteremus.

¶ Alius abusus; cū beneficia conferunt seu cū ceduntur
aliis: irrepsit in constituendis super eorū fructibus pensio-
nibus: imo quandoq; cedens beneficio omnes sibi fructus
reseruat. Quia in re illud est animaduertendū: nulla alia
de causa: nulloq; alio iure pensiones constitui possent: nisi ut
quasdam elemosinas: quæ in pios usus: & indigentibus con-
cedi debent. Nam redditus sunt annexi beneficio: ut cor-
pus animæ: ideo sua natura pertinent ad eū qui beneficiū
habet: ut possit ex eis uiuere honeste pro suo ordine: si-
mulq; queat sustinere impensas pro diuino cultu: & tem-
pli sacrarūq; ædiū reparationē: & quod reliquū est impen-
dat in pios usus. Hęc est enim natura eorū reddituū. Verū
sicuti in rerū naturæ administratione nõnulla fiunt a na-
tura uniuersali præter inclinationē uniuersalis naturæ: Sic
in Pont. qui est uniuersalis dispensator bonorū Ecclesiæ: si
uiderit eā fructuū portionē: quæ in pios usus expendi de-
bet: aut eius partē in piū quēpiā aliū usum: ut expendat
magis expedire: potest pculdubio id facere. Ideo iure me-
rito pensionē ponere potest: ut subueniat egeno: præsertim

Clericis: ut honeste queat uita ducere: pro eiusdem ordine.
Ideo omnes fructus reservari: adimiq; id omne: quod diuino cultui substructioniq; habentis beneficiū tribui debet: magnus est abusus. Itemq; pensiones dari Clericis diuicibus: qui cōmode & honeste uiuere queūt ex redditibus quos habent: magnus certe abusus: tollendus uterq;.

Alius item abusus in permutationibus beneficiorū quæ fiunt cū pactionibus: quæ Simoniacæ omnes sunt: nulloq; respectu habito nisi lucri.

Abusus alius oīno auferendus: q; calliditate quadā nō nulloq; peritorū iam iualuit in hac Curia: nā cū lege cautū sit: beneficia testamento legari nō posse: cū nō sint testatoris sed Ecclesiæ: & ut res hæc ecclesiastica seruariet cōmunis bonorū omniū: nō autē fieret priuata cuiuspiam: iuenit humana nō tamen Christiana industria plurimos modos qbus huic legi illudat. Nam fiunt renūciationes episcopatuū aliorūq; beneficiorū primo cū regressu: addunt reservationem fructuū: addunt reservationē collationis beneficiorū: Insuper cumulant reservationē administrationis: faciuntq; hoc pacto episcopū: qui nullū ius habet episcopali alterū uero cui iura omnia episcopi cōpetant: nō tamen episcopū. Videat Sanctitas tua: quo pcessit assentatoria illa doctrina: qua tādem effectū est: ut id liceat quod libeat. Quid queso est hoc nisi hæredē beneficii sibi constitueret. Alius præter hunc iuentus est dolus: cū. s. coadiutores dant episcopis petentibus: minus idonei: quam ipsi sint: ita ut nisi quispiam claudere oculos uoluerit: liquido uideat hæredem ea ratione institui.

Cetera lex est antiqua instaurata a Clemēte: ne filii presbyterorū habeant parentum beneficia: ne. s. res cōmunis hoc

modo fiat priuata. Dispensat tamē ut audimus in hac uerāda lege. Nolumus tacere id quod uerissimū esse quis prudens per se iudicauerit: nullā rem magis conflasse hanc inuidiam Clericis: unde tot seditiones sunt ortę: & alię instant: quā hanc auersionē cōmodorū & prouentuū ecclesiasticorum a cōmuni ad rem priuatam: ante hac omnes sperabant: nunc in desperationem adducti acutiū linguas contra hanc sedem.

¶ Alius abusus est in expectatiuis: & reservationibus beneficiorum: quibus & datur occasio: ut aliena mors desideretur: & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditū supremum dignioribus cum uacant: dant litibus causam. Omnes has putamus tollendas esse.

¶ Abusus alius est eadem calliditate iuentus. Nam quedam beneficia incompatibilia iure sunt: & appellant: que ex ipsa uerba nominis maiores nostri admonere nos uoluerūt: nō deberi ea uni conferri nūc in his dispensatur: nō tantū duobus sed pluribus: & quod peius est in Episcopatibus. Hunc morē qui ob auariciā tantū inualuit tollendū ducimus: præsertim in episcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad uitam unius: ne. s. obster illa beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia nōne est mera fraus legis?

¶ Alius etiā abusus inualuit: ut Reuerendis. Card. Episcopatus cōferunt seu cōmendant: nō unus tantū sed plures quē Pater Beatissime putamus magni esse momēti in Ecclesia Dei: primo quidem quia officiū Cardinalatus: & officiū Episcopi incompatibilia sunt. Nam Card. est assistere Sanct. tuę in gubernanda uniuersali Ecclesia: Officiū autem Episcopi est pascere gregē suū: quod præstare

bene

5

bene: nec ut debet potest: nisi habitet cū ouibus suis: ut pastor cū grege. Præterea Pater Sancte hic usus maxime obest exemplo. Quomodo namq; hæc Sancta Sedes: poterit dirigere & corrigere aliorū abusus: si in præcipuis suis membris abusus tolerant? nec ob id quod Card. sint: putamus eis magis licere transgredi legē: imo longe minus. Horū enim uita debet esse aliis lex: nec imitandi sunt Pharisæi: q; dicūt & nō faciūt: sed Christus Saluator noster incepit facere & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ: nam hæc licentia fomentū est auariciæ. Ambiunt præterea Card. a Regibus & principibus Episcopatus: a quibus postea dependent: nec possunt libere sententiam dicere: imo si possent: & uellent: fallerent tamen passione animi in iudicando perturbati. Ideo utinā hic mos tolleretur: & prouideretur Card. ut possent honeste pro dignitate uiuere omnibus æquales redditus: quod putamus facile fieri posse si uellemus abiicere seruitutem Mamonæ: & Christo tantum seruire.

His castigatis quæ pertinent ad constituendos tibi ministros: quibus ueluti instrumentis: & cultus Dei bene administrari: & populus Christianus in uita Christiana bene institui: & regi possit: accedendū nobis est ad illa: quæ spectant ad gubernationē Christiani populi. In qua re Pater Beatissime abusus ille primo: & præ omnibus corrigendus est: ne scilicet Episcopi primū: & præ oībus aliis deinde ne Curati abessent a suis Ecclesiis & Parochiis: nisi ob grauē aliquā causam: sed residentiā facerent: maxime Episcopi: ut diximus: quia sunt sponsi Ecclesiæ ipsis demandata. Nam per Deum immortalem: quis miserabilior uiro Christiano conspectus esse potest Christianū orbem pe-

ragrans: quam nec solitudo Ecclesiarum? Omnes tere pastores recesserunt a suis gregibus: commisi sunt omnes tere mercenariis. Imponenda ergo esset magna poena Episcopis pro aliis: deinde Curatis qui absunt a suis gregibus: non tantum censurari: sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt: nisi impetrata licentia: a tua Sanct. Episcopis Curati ab episcopis suis: per breue aliquod temporis spatium. Legantur in hoc aliqua Iura: aliquorum Conciliorum decreta: quibus cautum erat: Episcopo non licere abesse a sua Ecclesia: nisi tribus tantum Dominicis.

Abusus etiam est: quod tot Reverendissimi. Card. absint ab hac Curia: nec aliqua in parte faciant quodpiam eius officii quod spectat ad Card. Ideo & si fortasse non omnes: quia expedire existimamus nonnullos habitare in Prouinciis suis: nam per illos tanquam per radices quasdam in totum orbem Christianum sparsas continentur populi sub hac Rom. Sede. Plurimos tamen esset Sanct. tue uocare ad Curiam ut hic residerent. Hac enim ratione preterquam quod fungerent officio suo Card. prouideretur etiam amplitudini Curie: supplereturque si quid ei detractum fuisset per recessum multorum episcoporum: qui ad suas Ecclesias se contulissent.

Alius abusus magnus: & minime tolerandus: quo uniuersus populus Christianus scandalizatur: est ex impedimentis que inferuntur episcopis in gubernatione suarum ouium maxime in puniendis scelestis: & corrigendis. Nam primo multis uicibus eximunt se mali homines: praesertim Clerici a iurisdictione sui Ordinarii: deinde si non sunt exempti: confugiunt statim ad poenitentiam: uel ad Datariam: ubi confestim inueniunt uiam impunitatis: & quod peius est ob pecuniam praestitam: hoc scandalum Beatissime Pater tantopere corrum-

bat Christianū populum: ut nō queat uerbis explicari.
Tollantur obtestamur Sanct. tuā per sanguinem Christi:
quo redemit sibi Ecclesiā suā: eamq; lauit eodē sanguine.
Tollantur hęc macule: quibus si daret quispiam aditus in
quacūq; hominū Repub. aut regno: confestim: aut pau-
lo post in præceps rueret: nulloq; pacto diuinus constare
posset: & tamen putamus nobis licere: ut per nos in Chri-
stianā Rempub. inducantur hęc monstra.

¶ Alius abusus corrigendus est in Ordinibus religioso-
rum: quod adeo multi deformati sunt: ut magno sint scan-
dalo secularibus: exemploq; plurimū noceant. Conuen-
tuales Ordines abolendos esse putamus omnes: nō tamen
ut alicui fiat iniuria: sed prohibendo ne novos pelsint ad-
mittere. Sic enim sine ullius iniuria cito delerent: & boni
religiosi eis substitui possent. Nunc uero putamus opti-
mum fore: si omnes pueri: qui nō sunt professi: ab eorum
monasteriis repellerentur.

¶ Hoc etiā animaduertendū & corrigēdum censemus: in
prædicatoribus & confessoribus constituendis a fratribus
quod ab eorū præfectis primū adhiberetur magna diligen-
tia: ut idonei essent: deinde ut presentarent episcopis: qui-
bus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata: a quibus
examinarent per se: uel p uiros idoneos: nec nisi eorū con-
sensu admitterentur ad hęc peragenda.

¶ Diximus beatissime Pater: nō licere aliquo pacto in usu
clauū aliquid lucri utenti cōparari: est in hac re firmū uer-
bum Christi: Gratis accepistis: gratis date. Hoc nō tantū
ad Sanct. tuam pertinet: sed ad omnes qui sunt participes
huius potestatis: ideo a legatis & nūciis uellemus idē ser-
uari. Nam sicut usus qui nūc iualuit: dedecorat hęc Sedē

& conturbat populū: ita si fieret: e contra: maximū decus
huic Sedi compararet: & ædificaret mirifice populus.

Abusus alius turbat Christianum populū in Moniali-
bus: quæ sunt sub cura fratrum cōuentualium: ubi in plæ-
risq; monasteriis fiunt publica sacrilegia cū maximo om-
nium scandalo. Auferat ergo Sanct. uestra omnē eam
curam a cōuentualibus: eaq; det aut Ordinariis: aut aliis:
pro ut melius uidebitur.

Abusus magnus & perniciosus est in gymnasiis publi-
cis: præsertim in Italia: in quibus multi Philosophiæ p̄fes-
sores impietatem docent: imo in templis fiunt disputatio-
nes impiissimæ & si quæ sunt piæ tractant in eis res diui-
næ: corā populo ualde irreuerenter: ideo putaremus indi-
cendū episcopis: ubi sunt publica gymnasia: ut per eos ad-
moneret Lectores: qui legunt ne docerent adolecentes
impietatem: sed ostenderent infirmitatē luminis naturalis
in quæstionibus pertinentibus ad Deū: ad mundi nouita-
tem: uel æternitatē: & similia: eosq; ad pietatē dirigerent.
Similiter ne permitterent fieri publicas disputationes de
huiusmodi quæstionibus: neq; etiā de rebus Theologicis:
quæ certe multū existimationis perdunt apud uulgus: sed
priuatim de his rebus fiant disputationes: publicæ de aliis
quæstionibus Physicis. Idemq; iniungendū esset omni-
bus aliis Episcopis maxime insignium ciuitatū: in quibus
huius generis disputationes fieri solent. In Impressione
etiam librorū eadū adhibenda esset diligentia: scribendūq;
Principibus omnibus: ut caueant ne passim quis libri in
eorū ditione imprimant. Dandaq; esset huius rei cura Or-
dinariis. Et quoniā pueris in ludis solent nūc legi Collo-
quia Erasmi: in quibus multa sunt: quæ rudes animos in-

7
formant ad impietate. Ideo eorum lectio in ludis litterariis prohibenda esset: & si qua alia sunt huius ordinis.

¶ Post hæc quæ ad instituendos ministros tuos in hac universalis Ecclesiæ cura: & in eius deinde administratione spectare videntur: animadvertendum est in Gratiis: quæ fiunt a tua Beatitudine: præter priores abusus; alios quoque abusus introductos esse.

¶ Primus est in fratribus seu religiosis apostatis: qui post votum solent a sua religione recedunt: impetrantque ne teneant gerere habitum sui Ordinis: imo nec uestigiū habitus: sed tantum uestem honestam Clericalem: prætermittamus nunc de lucro. Iam enim diximus in principio: non licere ex usu clauium: & potestatis a Christo traditæ comparare sibi lucrum: sed etiam ab hac gratia abstinendum. Nam habitus est signum professionis: unde nec ab episcopo potest dimitti: cui tenentur hi Apostatæ: ideo hæc gratia eis concedi non deberet: neque etiam cum ipsi recesserint a voto: quo Deo se obligarant: eis permittatur: ut habeant beneficia: neque administrationes.

¶ Alius abusus in Quæstuariis Sancti Spiritus: Sancti Antonii: aliisque huius generis: qui decipiunt rusticos & simplices: eosque innumeris superstitionibus implicancitollendos hos quæstuarios censemus.

¶ Abusus alius in dispensatione cum constituto in sacris Ordinibus: ut possit uxorem ducere: hæc dispensatio non esset ulli danda: nisi pro cõseruatione populi cuiuspiam: uel gentis: ubi esset publica causa grauissima: præsertim his temporibus: in quibus urgent Luth. hanc rem maxime.

¶ Abusus in dispensatione in nuptiis inter cõsanguineos seu affines: certe in secundo gradu non putamus faciendam

esse: nisi ob publicā causam graue. In alijs uero gradibus: nō nisi ob causā honestā: & absq; pecuniā: ut diximus: nisi iam prius coniuēti essent: ubi liceret pro absolutione a peccato iam perpetrato imponi mulcta pecuniaria: post absolutionē: & deputari ad pios usus: in qbus facit Sanct. tua impensas. Nā sicut ubi nō est peccatū in usu clauū: nihil exigī potest pecuniæ: ita ubi absolutio petit a peccato: imponi mulcta pecuniaria potest: & deputari ad pios usus.

¶ Abusus alius in absolutione Simoniaci: proh dolor quantū in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens uitiū: a deo ut quidam nō uerentur Simoniam cōmittere: deinde confestim petunt absolutionē a pœna: imo eā emunt: sicq; retinent beneficiū quod emerūt. Non dicimus Sanct. tuā nō posse pœnā illam quæ est de iure positio constituta eis cōdonare: sed q; nullo pacto debeat: ut tāto sceleri resistat: quo nullū perniciosius: nec magis scandalosum.

¶ Licentia etiā testandi Clericis de bonis Ecclesiæ nō esset danda: nisi pro causa urgenti: ne bona pauperū cōuerterent in priuatas delicias & amplificationes domoꝝ.

¶ Confessionalia autē cum usu altaris portatilis nō essent facile danda: sic enim uilescunt ecclesiasticæ res: & Sacramentū omnium præcipuū. Nec indulgentiæ: item dandæ essent: nisi semel in āno in unaquaq; insigniū ciuitatum. Cōmutatio etiā uotoꝝ neq; ita facile faciendā: neq; cōmutanda: præterquā in æquiualens bonū.

¶ Consueuere etiā mutari uolūtates ultimæ testatoꝝ: qui ad pias causas legant quāpiā pecuniæ sūmā: quā auctoritate Sanct. tuæ transferūt ad hæredē uel legatariū ob prætentam paupertatē &c. Idq; ob lucrū certe: nisi facta sit magna mutatio in re familiari hæredis per obitū testatoris: ita

q̄ uerisimile sit: testatorē ob eā mutationē mutaturū tū-
se uolūtatē. Volūtates testatorū mutari impiū est: de lucro
iam toties diximus: quare putamus omnino abstinendū.

¶ Omnibus in sūma explicatis quæ pertinent ad uniuersa-
lis Ecclesiæ Pont. quantū animo potuimus comprēhen-
dere: restat ut nōnulla dicamus quæ pertinent ad Rom.
Episcopū. Hæc Romana Ciuitas & Ecclesia: mater est &
magistra aliarū Ecclesiarū. Ideo maxime in ea uigere de-
bet diuinus cultus & morū honestas: ideo Beatissime Pa-
ter scandalizant omnes exteri: qui ingrediunt templum
Beatissimi Petri ubi sacerdotes quidā sordidi: ignari: indu-
ti paramētis & uestibus: quibus nec in sordidis ædibus ho-
neste uri possent: Missas celebrant: hoc magnū est omni-
bus scandalū: ideo iniungendū est Reuerendis. Archi-
presbytero: uel Reuerendis. pœnitentiario: ut hæc cu-
rent: & amoueant hoc scandalum sicq; in aliis Ecclesiis.

¶ In hac etiā Vrbe meretrices: ut matronæ incedunt per
Vrbem: seu multa uehunt: quas affectantur de media die
nobiles familiares Card. Clericiq;. Nulla in urbe uidimus
hanc corruptionē præterq; in hac omniū exemplari: habi-
tant etiā insignes q̄des: corrigēdus etiā hic turpis abusus.

¶ Sunt etiā in hac Vrbe priuatorū ciuium odia: & inimi-
citiæ: quas componere: & ciues conciliare præcipue in-
terest Episcopi: ideo per Card. quosdam Rom. præsertim
qui magis essent idonei: omnes hæc inimicitie componen-
dæ essent: & ciuium animi conciliandi.

¶ Sunt in hac urbe hospitalia: sunt pupilli: sunt uiduæ:
harū cura maxime pertinet ad Episcopū & ad Principem.
Ideo Sanct. tua per Cardinales uiros probos posset etiam
cōmode hæc omnia curare.

Hæc sunt Beatissime Pater: quæ in præsentia pro lenitate ingenii nostri colligenda esse duximus: & quæ nobis corrigenda uiderent. Tu uero pro tuâ bonitate & sapientia omnia moderabere: nos certe si nō rei magnitudini: quæ nostras uires longe superat: conscientia tamē nostræ satisfacimus: nō sine maxima spe: ut sub te Principe uideamus Ecclesiā Dei purgatā formosam: ut columbam sibi concordem in unū corpus consentientē: cū æterna tui nominis memoria. Sumpstisti tibi nomen Pauli: imitaberis speramus charitatē Pauli: electus fuit ille: ut uas quod deferret nomen Christi per gentes. Te uero speramus electum: ut nomen iam Christi oblitū agentibus: & a nobis Clericis: restituas: in cordibus & in operibus nostris egrotudines sanes: oues Christi in unū ouile reducas: amoueasq; a nobis iram Dei: & ultionē eā quā meremur: iam paratam: iam ceruicibus nostris iminentem.

Gaspar Card. Contarenus.

Ioh. Petrus Card. Theatinus.

Jacobus Card. Sadoleus.

Reginaldus Card. Anglicus.

Federicus Arch. Solernitanus.

Hieronymus Arch. Brundusinus.

Ioh. Mattheus Episc. Veronensis.

Gregorius Abbas Sancti Georgii Vener.

Frater Thomas Magister Sacri Pallatii.

Imprimebatur anno. M. D. XXXVIII.

Per Gotardum de Ponte.

50006969